



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Vtrùm fides huius sacramenti, id est, passionis Christi, an esus ac potus,
remittat peccata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

mandat manducare & bibere, quò nimirum non solum spiritualiter per fidem, sed etiam corporaliter uniamur Christo, & cum illo efficiamur vna caro, sicut Apostolus 1. Cor. 10. inquit: Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est, quoniam unam panis & vnum corpus multi sumus. Ex tali autem communicatione seu participatione fit Christus noster totus, cum omnibus donis suis & beneficijs, & nos illi efficiamur proprii cum peccatis nostris quæ ille abstulit & euanescere facit.

3. Postremò notandum, quòd in communicatione duo sunt, Fides Sacramenti & Esus: At manducatio non meretur remissionem peccatorum, sed fides passionis Christi, nempe vt credam corpus eius promissum traditum, & sanguinem pro me effusum esse in remissionem peccatorum: hæc fides præcedat necessè communionem illam realem, quæ est vita animæ: nam edere & bibere præsupponit vitam, non autem cibus & potus dant nobis vitam, sed potius conferunt: atque sic per absolutionem verbi Dei ac fidem remittuntur nobis peccata ante communicationem Sacramenti: sed quando communicamus, uniamur Christo, iuxta illud Ioan. sexto. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Incorporamur ergo Christo per manducationem, & confortamur in fide. Nam sicut homo non est, natum esse ex utero matris & accepisse vitam, nisi quis etiam cibo & potu alimentorum conseruet vitam: sic non est satis, renatum esse in Baptismo, nisi in hac noua vita conseruetur & crescat cibo illo celesti corporis & sanguinis Christi &cæt. Quamprimùm enim homo baptizatus est, pugnandum est contra carnem, Sathanam, mundum & concupiscentias, in qua continua pugna pro nostra fragilitate profusus succumberemus, & victi iaceremus, nisi data nobis esset Eucharistia, qua fides nostra pascitur & confirmatur.

firmatur, accenditur charitas, roboratur spes, vt in certamine hoc assiduo fortiter resistere & nobis constare possimus: Atque ideò prodest sæpenumerò communicare, vt fides crescat in tentatione &cæt. consistit ergò remissio peccatorum in fide, attamen manducatio reliquias peccatorum in carne purgat & extinguit, sicut salutaris medicina prodest ad tollendos morbos, & ab illis præseruat. Est igitur Sacramentum hoc institutum, vt maneamus in Christo, & ipse in nobis, ne obliuiscamur beneficij sui: atque ob id frequenter populo prædicandum est, quòd Christus per mortem & sanguinem suum nobis meruerit remissionem peccatorum, & nisi hoc quotidie fecerimus atque cogitauerimus, nõ manebimus in Christo, cui insiti sumus semel in Baptismo: ideò & manducamus, vt illi incorporemur, &c.

CAPVT XI.

ARGVMENTA.

1. *Quare Apostolus monet, vt homo probet semetipsum ante communionem.*
2. *Quomodo debeat se probare communicaturus.*
3. *Qui sint fructus communionis, & quid sequi debeat communionem.*

Apostolus 1. Cor. 11. dicit, Probet primùm seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: nam qui indignè manducat, iudicium, id est, damnationē, sibi manducat & bibit, eò quòd non facit differentiam inter corpus Domini & alium cibum. Ne igitur homo seipsum damnet, iubetur ab Apostolo vt sese probet. Liqueat autē ex Apostolo, quàm
 CC 3 horribile